50

EPISTOLA


PASTORALIS

AD

CLERUM ET POPULUM

CALLENSIS ET PERGULANÆ

DIŒCESIS



ROMÆ

TYPIS SACRÆ CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

1842

BONIFACIUS CAJANI

PATRICIUS NUCERINUS ET TADINAS

IN ECCLESIIS CALLENSI ET PERGULANA

PRO SANCTA SEDE

JAM VICARIUS APOSTOLICUS ET ADMINISTRATOR

NUNC DEI ET EJUSDEM SANCTÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPUS

IDEMQUE

SS. D. N. GREGORII PAPÆ XVI

PRÆLATUS DOMESTICUS ET PONTIFICIO SOLIO ASSISTENS



Omnibus venerabilibus Fratribus, et dilectis Filiis, qui invocant nomen Domini gratia, et pax a Deo Patre, et Domino Nostro J. C.

Scitis a prima die, qua ingressus sum inter Vos, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, serviens cum omni humilitate. Adjutor constitutus Aaron, excubans fere per quinquennium in custodiis tabernaculi, vidi Eum insperato eductum in montem Hor, ut ibi colligeretur, et moreretur. Flevimus super tantum Pastorem, et Patrem per cunctas familias; dolentes expoliavimus Eum vestibus discoloribus dignitatis suæ, apposuimus fratribus suis, et Ego solus mansi ad custodiam vestium, expectans Eleazarum, qui iisdem indueretur, et filius, et hæres virtutum Ipsius, unctus oleo, sacerdotio fungeretur pro Eo. Jacui interim consternatus, meditans die, ac nocte quid responderem Magno Patrifamilias, qui posuit me custodem in vineis, cum auferret a me villicationem. Et ego nesciebam quid

facerem, cum amotus fuissem: tantum in genua provolutus postulare statueram, non ut patientiam haberet in me, nihil potens ad reddendum, sed ut bonus dimitteret universum debitum meum.

At videte, Fratres, Filiique charissimi, bonitatem in me Patrisfamilias. Excelsus Ille, qui adstat quotidie in conspectu Ejus, quique in auditu auris obedit Ei, voluntatem Ejus faciens semper, misit ad me epistolam suam: « Haec dicit Sanctus, qui habens clavem aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit: scio opera tua, et laborem, et patientiam tuam, et ministerium, et opera tua novissima. Festina, accede ad me portans tecum vestes, quas custodis, ut iisdem induaris novus Eleazarus. Excubabunt Sacerdotes, et Levitae ad praecepta tua in omnibus caeremoniis tabernaculi. Ego, qui jamdiu posui te custodem in vineis, non tradam eas aliis agricolis. Constitui te hodie super eas, ut evellas, et destruas, et aedifices, et plantes. » Cecidi tunc in faciem meam, et vultus meus haesit terrae. Vix autem reversus est in me spiritus meus: Ne quaeso, dixi, indigneris, si loquar. Obsecro Domine, mitte quem missurus es: ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Tunc iterum ad me: « Durum est tibi contra stimulum calcitrare. *A Domino factum est istud.* Ad omnia, quae mittam te ibis, et universa, quae mandavero tibi, loqueris et facies. »

Nec cecidit ex omnibus verbis ejus in terram. Intendite, quaeso Fratres, Filiique quanta hodie fecit Deus per Spiritum septiformem animae meae, quando lenticula olei effusa est super caput meum. Heri nutricius eram vester, hodie Pater: heri legatus, hodie Pastor, heri custos, hodie Sponsus: heri minimus inter filios Isai, hodie unctus oleo, honorabilis, et gloriosus in oculis vestris. Vere a Domino factum est istud: haec mutatio dexterae Illius, qui suscitat de pulvere egenum, ut sedeat cum Principibus, et solium gloriae teneat.

Audite igitur Pastorem, et Patrem, Sponsum, et Episcopum animarum vestrarum, qui adhuc prohibitus ad vos venire, et os ad os loqui, per epistolam non aliena, sed manu sua, vel corde potius scriptam, quid ad vestram utilitatem jam proposuit in animo, quid in mente die ac nocte revolvat, confidenter aperit. Sed numquid ad gentes, quae unquam me non

viderunt scribo? vel generationi, cui vel non proximus fui, vel quæ non cognovit vias meas, litteras mitto? Non longo utique tempore vobiscum fui, (videntur mihi pauci dies præ amoris magnitudiæ) sed jam cognovistis me: vix ultra quadriennium commoratus sum inter vos, et anima mea conglutinata est animabus vestris, et quænam sit voluntas nostra beneplacens, sæpius didicistis sive per sermonem, sive per epistolas nostras. Attamen adhuc desiderabatur aliquid in eis. Dixi vos amicos, et notos meos, non filios, et oves, quia ego non eram Pater, nec Pastor vester. Hodie primum his utar amoris nominibus, et vix utor, concaluit cor meum intra me, et diffusa sunt omnia viscera mea. Oh! itaque Filii mei jamdiu charissimi, et desideratissimi, gaudium meum, et corona mea, quos tantum dilexi, ut amor etiam dolorem, qui ex morte matris meæ accidit, temperaret, et tantum diligo, ut paratus sim animam meam pro vobis ponere: Oh! segregatæ ab hædis oves, quas voco nominatim; quas cognosco, et cognoscunt me; oves, quæ vocem meam audiunt, suscipite epistolam non calamo, et attramento, sed dilectionis lacrymis potius impressam, et manibus scriptam adhuc rorantibus oleo, quo nuper aspersus sum. Sed quoniam ego non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini, et pronuntiabo tantum verba labiorum ejus, quæ scripsit in libro suo. Assimilabor eis, qui descendunt mare faciamque operationem in aquis multis, et videbo mirabilia in profundo Scripturarum. Assimilabor homini quærenti bonas margaritas, et cum invenero, nihil de meo apponens eis, nisi laborem, et patientiam, faciam ex eis gemmarum ordines, tradamque eas Fratribus, et Filiis meis, ut ligent in digitis, ligent in corde.

Vos igitur primum amplector in osculo sancto, venerabiles Fratres, Genus electum, qui in templo Dei ad similitudinem viginti quatuor Seniorum, sedentes in sedibus vestris, quasi habentes singuli cytharas, et phialas aureas, cantatis coram Agno canticum novum: Vos, quos Deus posuit in circuitu Sedis nostræ consiliarios, vindices, senatores nostros; sustinete, confortate, precibus juvate Episcopum vestrum; Vos scitis introitum nostrum ad vos, quia forte nec inanis fuit; et quales fuerimus in vobis propter vos, et nos memores sumus operis fidei

2

vestræ. Ita suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos in honorem. Certus sum, quoniam et ego ipse de vobis, et ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita ut possitis alterutrum monere. Sitis forma omni credenti; in sublime positi state in gradu vestro, ita ut non sit nobis necesse quidquam loqui.

Ad vos, electi de Senibus Israel, Principes populi, et Magistri, congregamini iterum mecum hodie ad ostium tabernaculi, ut Dominus rursus descendat, et auferat de spiritu meo, tradatque vobis, ut possitis sustinere mecum onus populi, et non solus graver. Utinam adimpleatur in vobis, quod in Septuaginta Viris a Moyse collectis: *Cumque requievisset in eis spiritus, prophetaverunt, nec ultra cessaverunt.* Prophetate et vos pueris, ut discant invocare Deum, antequam sciant vocare Patrem suum, et matrem suam. Prophetate juvenibus timorem Domini, modestiam, castitatem. Prophetate nuptis fidelitatem, parentibus curam omnem filiorum, et filiis reverentiam erga illos. Prophetate populis, subditos esse principibus et potestatibus, peccantibus tremorem judiciorem Dei; prophetate agnis, prophetate ovibus exemplo, sermone, patientia, doctrina. Pascite, qui in vobis est gregem Dei, non coacte, sed spontanee absque contentione, et æmulatione. Reges gentium dominantur earum, vos autem non sic; sed docete eas legitima Dei. Heu Fratres! non est scientia Dei in terra; idcirco maledictum, mendacium, homicidium, furtum, ebrietas, et adulterium inundaverunt. Vigilate omni tempore orantes. Habentes solatio sanctos Libros, date lectioni quid quid ministerio superest. Diligite decorem domus Dei; custodite, et ostendite populis cæremonias, et ritum colendi Eum. Estote brachium nostrum, quemadmodum estis pupillæ oculi nostri; et quod majus erit, et gravius contigerit, ad Nos referte. Sic facientes exultabit solitudo vestra, et florebit quasi lilium. In cubilibus, in quibus habitabant dracones, orietur viror calami, et via vestra via sancta vocabitur.

Sacerdos Dei altissimi, de semine Aaron, qui electus de cuncto populo, nedum fers vasa Domini, sed accedis quotidie ad immolandum Domino; gloriosa dicta sunt de te; et tu magister constitutus in Israel non hæc ignoras. Tu ex filiis Syon inclytis

amictis auro primo; Tu sal, Tu lucerna, Tu civitas in monte posita, Tu piscator hominum, Tu operarius in vinea Domini Sabaoth; tu bonus miles Christi. Si unicuique mandavit Deus de proximo suo; si omnibus indictum: Recupera proximum tuum secundum virtutem tuam, quid, quæso, Dominus, cui jurasti, non requiret a Te? Agnosce igitur dignitatem tuam; labora sicut bonus miles. Nemo militans Deo implicat se sæcularibus negotiis; labia tua custodiant scientiam; ignis ardeat semper super altare, nempe intra cor tuum et exardescat quotidiana meditatione. Sint manus tuæ modo myrram stillantes, modo plenæ odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum; sint pedes tui speciosi ad evangelizandum pacem, ad evangelizandum bona; modestia tua nota sit omnibus hominibus; esto mundus, esto sobrius, esto sanctus, ut quisque vereatur nihil habens malum dicere de Te.

Sapientes in Christo, ad quos vix dictum verbum absconditum: « In partes vade sæculi sancti cum vivis, et dantibus « laudem Deo » mortui mundo, fletibus, aptisque luctui susceptis indumentis, renunciastis omnibus ad thesaurizandos Vobis thesauros in cœlo. Non cesso primum gratias agens pro Vobis memoriam vestri faciens in orationibus meis, sciens charitatem vestram, et ministerium, et laborem, quo et Vos villicatis in vinea mea. Mementote, quod homo sanctus in sapientia sua stat sicut sol: reddite ergo Altissimo vota, quæ sponte, et toto corde vovistis. Peregrinantes erga terram, quam Dominus Deus vester daturus est Vobis, injuriosum Ei etiam reminisci eorum, quæ reliquistis in Ægypto. Sitis odor Christi in omni loco, ut non vituperetur ministerium vestrum.

Florete flores quasi lilium, et date odorem, et crescite paulatim in gemmas, et frondete in gratiam, Adolescentes inclyti, electi ex millibus de filiis Israel, quos ab infantia introduxit Deus in domum suam, accincti ephod lineo, ministraturi ante faciem suam. Filioli mei, quos diligo, et porto in sinu meo, cavete, ne ulla sit in vobis macula, animosque vestros Deo intuenti cor præbete forma decoros. Erudimini omni sapientia, et scientia: audite docentes vos litteras, et linguas. Deus ipse dabit scientiam, disciplinam, et intelligentiam. Reveremini Præpositum vestrum erudientem, et quasi plasmantem vos omni disci-

plina. Enutriti hujusmodi regio cibo statutis annis, stabitis utinam omnes in conspectu Regis regum. Cupio autem ut et vos digni efficiamini hac laude: *Non sunt inventi tales de universis.*

Juvenes, qui ministratis utique ante faciem Domini, sed quasi infantes nondum ablactati manetis in domo vestra, nec mater adduxit in domum Domini in Silo. Manete donec impleat Dominus desiderium nostrum, et vos commodemini Domino omnibus diebus. Cavete interim ne quid sit communionis inter vos, et filios Belial nescientes Dominum. Ascendite in Templum et ad immolandam hostiam solemnem, et ad evangelizandos rudes, et parvulos juxta consuetudinem, et verba gratiæ procedant de ore vestro. Proficite, et crescite placentes tam Deo, quam hominibus. Oculi mei nequaquam caligaverunt, nec gravor annis valde. Cognoscam vias vestras: audiam quid faciatis in universo Israel, nec dicam vobis: *Quare facitis res hujusmodi, quas ego audio: nolite filii mei.* Numquid non aperte revelatus sum vobis? Praecidam potius brachium vestrum, et suscitabo Altissimo ministros fideles, qui juxta cor Ejus faciant. Ex multa tribulatione, et angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas, non ut contristemini, sed ut sciatis qualem charitatem habeam in vobis.

Prudentes Virgines, Filiæ utique hominum, sed non mendaces in stateris, in quibus appensum omne, quod in mundo est, inventum fuit minus habens, vanitati simile, abominabile prorsus: omne enim concupiscentia oculorum est, concupiscentia carnis, superbia vitæ: Filiæ, inquam, quæ speciosis depositis vestibus, omnique ornamento, velato capite, et assimilatæ virgini accinctæ sacco, oblitæ populum vestrum, et domum patris vestri, Dominus duxit Vos in solitudinem, ut loquatur ad cor vestrum. Ipse rex vester concupivit decorem vestrum: non enim est digna ponderatio continentis animæ. Vos sicut angeli Dei in cœlo: angeli, inquam, obedientia, caritate, innocentia: Vobis datum sequi Agnum quocumque ierit, qui pascitur inter lilia. Estote quasi columbæ habitantes in scissuris petrarum; sint oculi vestri columbarum, meditamini ut columbæ, habentes pennas, sicut columbæ, estote gementes, simplices, trepidæ sicut columbæ. Filiæ regis: quia gloria carnis tamquam flos agri, omnis gloria vestra ab intus sit: et si

etiam foris oportet gloriari, absit, nisi in cruce Domini Nostri Jesu Christi.

Salvete Sapientissimi, qui in populis meis tam digne pro Sacratissimo Principe legum custodia, criminumque ultione, summa auctoritate præestis, et nedum integritate, humanitate, prudentia, sed quod magis interest, virtute omnigena, continetis multitudinem. Quantum in me erit semper curabo, ut omnis anima meæ commissa vigilantiæ Vobis tamquam potestatibus legitimis subdita sit. Non enim est potestas nisi a Deo; ideoque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Bonum faciat qui non vult timere potestatem, imo laudem habere ex illa. Timeant qui male fecerint: etenim non sine causa gladium portatis.

Salvete Majores natu, Optimates, Magistratus, omnesque nedum patriis statutis, consiliis, decretis, sed validius religione, exemplo, concordia juvantes rempublicam, per Vos Civitas nostra habitatur in omni pace, legesque custodiuntur. Idcirco factum est, ut Princeps Sacratissimus hinc Sacerdotes nostros summo honore dignos duceret, hinc templum maximis muneribus illustraret. Utinam scribantur verba mea in tabulis æneis et legantur in conspectu Ecclesiæ.

Salvete militiæ electi Principes, Ducesque omnes gradus universi, et quotquot inferioris ordinis armis instructi militatis ad custodiam Imperii, Provinciæ, Civium. Scitis jam quid Vobis interrogantibus Vox clamantis respondit: *Neminem concutietis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris.*

Augeat in Vobis Dominus judicium, et justitiam, et patientiam, et alacritatem quotquot ex timentibus Deum, diligentibus veritatem, et avaritiam odientibus nuper providimus ad judicandum Nobiscum sæcularia; vel qui vigilatis in ministerium, decus, custodiam Curiæ nostræ, aut ad religionem, disciplinam, moresque tuendos; sive ad vindicanda Ecclesiæ, societatis jura, privilegia, lites denique, controversiasque dirimendas.

Vos alloquor non mortalium choros, sed cælestium, cui divinitus commissa cura juventutem universam ab infantia erudiendi, nedum ut Deum timere sciat, et abstinere ab omni peccato, sed ut bonis artibus, disciplinis, litteris, linguis, et omni sa-

pientia edoceatur. Non solus Egô Vobis gratias ago, sed et cunctæ Ecclesiæ meeum in Dei nomine. Si enim peccatum grande nimis scandalum parare pusillis; et væ væ scandalizantibus, et contemnentibus illos; meliusque eis non nasci, aut mola suspendi, et in profundum mergi; quid laudis apud angelos eorum, quid præmii apud Deum eosdem in nomine Domini suscipere, et timorem sanctum (qui solus initium, plenitudo, corona sapientiæ est) omni studio, et charitate edocere? Si quis potum dederit eis aquæ frigidæ non perdet mercedem suam, et tamen sitient iterum; quænam merces dantibus juventuti non aquam, sed lac in salutem, potum nempe invisibilem, quo angeli utuntur, potum spiritalem, aquas salientes in vitam æternam?

Audisti, quæ loquor, spes omnis vineæ nostræ electa juventus, vel optimi in primis quique epheborum Lyceum, et Gymnasium frequentantes; adolescentulæ item, quarum ornamentum primum modestia, pudor; juvenes item, pueri, puellæ, cujuscumque gradus? Videtis ne Sponsam meam, matrem vestram oculos, manusque ad Vos protendentem? quæso, ne contristetis dilectam nostram, nec pugnetis in eam. Imo custodite sermones ejus, et legem ejus quasi pupillam oculi vestri, scribentes in tabulis cordis. Succrescite boni, benigni, timorati; verecundi visu, modesti moribus, eloquio decori, exercitati virtutibus, placentes tam Deo, quam hominibus. Vos præ consortibus vestris, audite quæ loquor, electæ Pupillæ, quæ factæ absque Patre, et multæ absque Matre, quasi Columbæ nuper eductæ de terra corrupta, invenistis gratiam coram Domino, qui ponens fœdus Vobiscum, Arcam ingressæ, sicut Ipse præceperat, salutem habuistis. Cavete, ne aut insipientes egrediamini, aut culpa vestra dimittamini ex Arca. Pes vester non inveniret ubi requiesceret. Expectate libentes statutis diebus, offerentes interim holocausta munda Domino super Altare cordis vestri; Eumque rogate, ut recordetur nostri: adducat spiritum super terram, ut imminutis aquis diluvii, ramum immittat virentis olivæ.

Manus Domini confirmet cor vestrum religiosæ, honestæ, fortesque Mulieres, quæ timentes Dominum valde estis gloria Ecclesiae nostrae, Bonorum lætitia, levamen pauperum, honori-

licentia populi vestri. Estote exemplum virtutis inferioribus, ut vestra et ipsæ sequantur vestigia. Castitate, et fortitudine imitamini Judith; prudentia et humanitate Abigail, humilitate, et verecundia Esther, patientia et pietate Annam; state in fide, perseverate usque ad consummationem, nec sit qui loquatur de Vobis verbum malum.

Debitus tribuatur Vobis honor, Charissimi, quos Deus ipse eloquio suo honorare præcepit. A Deo enim omnis medela; Altissimus creavit medicamenta de terra, quorum mira efficacia, si a Vobis balsamo conspergantur virtutis. Ipse dedit hominibus scientiam honorari in mirabilibus suis.

Etiam pauca ad Viros industrios, præpositos bonis universis christianæ rei publicæ, quorum fructibus Dei cultui, templorum nitori, ministerio, pauperibus provide succurrendum est. Scitis quæ præcepta data sint vobis ab anno 1840. Tabulæ, Codicesque accepti, et expensi in promptu sint, rationem de vestra integritate, solertia, prudentiaque Nobis reddituri.

O Parentes, ad vos supra modum clamito: sacramentum enim vestrum magnum est. Vos viri caput mulieris, sicut Christus Ecclesiæ Caput. Diligite ergo uxores vestras, sicut Christus Ecclesiam suam. Et vos, mulieres, estote subditæ viris vestris. Sit honorabile connubium vestrum. Non omnem hominem inducatis in domum vestram. Filii vobis sunt? cum omni patientia curvate illos a pueritia, erudientes eos verbo, exemplo timorem Domini. Filiæ vobis sunt? Servate nedum animum, sed et corpus illarum ab omni iniquitate. Sedeant vobiscum sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ vestræ. Quid si pater ebrius, mater autem, filiique esurientes? Ex ebrietate irritationes, iræ, ruinæ, apostasia, indigentia, exterminium. Denique Servos, et Ancillas habetis? obediant vobis non quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo. Vos eadem facite illis, remittentes minas, scientes, quia et illorum, et vester Dominus est in cœlis. In omnibus sumite scutum fidei, orantes omni tempore, et vigilantes in omni instantia.

Quemadmodum omnes Filios meos charissimos ex nomine voco. et singulorum agnosco vultum, et singulos scripsi in corde meo; nec opus mihi est, ut quis indicet ubi habitent, ubi

quiescant dilecti mei, aut numerum afferat, eos etiam nominatim alloqui, eis singulatim salutem, et pacem dicere vellem. Saltem familiis, et familiis seorsum a maximo ad minimum universæ Ecclesiæ nostræ. Valete igitur in primis artium nobiliorum quotquot estis industrii, peritique cultores; prosperamini quotquot societatem privatis industria, mercibus, negotiatione, manufactis, opere, pecunia. Sit vobis Deus adjutor, et protector, qui ad aratrum, ad incudem, ad fornacem, ad rotam, ad securim noctem tanquam diem transigitis, et quotquot estis artifices operum singulorum (omnes enim in Christo Filii mei), quique omni sustinentia vigilatis ad armenti custodiam, agrorumque culturam. Confortamini in Domino, et in potentia virtutis Ejus quos Deus, sicut argentum, et aurum purgatur igne, sic posuit in camino paupertatis, humiliationis, persecutionis, angustiæ, infirmitatis. Sustinete usque ad consummationem, fidem, patientiam, alacritatem servantes: non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam.

Confido autem in Domino, quoniam et Ipse veniam ad vos cito. Non in virga veniam, sed in charitate, et spiritu mansuetudinis. Interim, quousque venio, charissimi mei, sicut semper obedistis, non ut in præsentia mei tantum, sed magis nunc in absentia mea: omnia autem facite sine murmurationibus, ut et ego veniens, sitis sine reprehensione. Ero vobis in patrem, vosque eritis mihi in filios, ambulabo inter vos, ponam tabernaculum meum in medio vestri. Et ego annales temporum pro modulo meo exarabo, et ea, quæ laude, honore, præmioque digna in Fratribus, Filiisque meis animadvertere datum erit, memoriæ scriptisque mandabo, ut cuique, data occasione, digna factis, in quantum potero, rependam. Nec unquam accipiam personam viri. Ceterum, quantum vires suppetent, non negabo quod volent pauperibus, nec oculos viduæ expectare faciam. Non comedam buccellam meam solus: pupillus comedet ex ea, orphano adjutor ero, quia ab infantia crevit in me miseratio. Non despiciam pereuntem absque operimento pauperem: et succurram ei, qui habitationem non habet. Egrediar ad terram vestram, et circuibo omnes regiones vestras, ut videam si cuncta sint prospera, quid agatur; ut audiam clamorem po-

puli mei, sciamque (si forte sit) dolorem ejus, Deoque adjuvante, liberem eum. Si foris non manebit peregrinus, et ostium meum viatori patebit, non amplius faciam Filiis, et Fratribus meis, pro quibus cupio etiam anathema esse? Veruntamen ordinabit in me Deus charitatem. Numquid eodem modo fovebuntur in sinu meo columba et coluber, agnus et lupus, filii diligentes patrem, et filii (quod absit) pugnantes, et spernentes patrem? nullo modo. Nonne scriptum est: Iniquos odio habui? iniqui regnum Dei non possidebunt; nempe fornicarii, adulteri, fures, avari, ebriosi, maledici? omnibus attamen omnia fiam, ut omnes salvos faciam.

Et ne jure exprobretur Nobis a filiis nostris: Hic domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Nedum hortamur, sed tota auctoritate præcipimus universis, qui Nobis assistunt vel familiaritate, vel famulatu vel conductione, vel opere; aut quos eligimus dispensatores domus, præfectos census, annonæ, reique familiaris, nedum ut abstineant se ab omni specie mala, sed ut exercentes se in omni opere bono, præsertim pietate in Deum, dilectione ad invicem, humanitate erga omnes, aliis sese exemplo exhibeant, Nobisque mereantur esse, fidelitate sua, quasi anima nostra.

Pastor universorum Deus, qui fecisti verbum tuum dicens: Ecce Ego Ipse super pastores: Ergo ne putandum est, quod vere elegeris filium Isai pascere Jacob, et Israel hæreditatem tuam? Audiat igitur Dominus meus orationem, et hymnum, quem electus tuus orat coram Te hodie. Tu exaltasti servum tuum in medio populi tui: ego autem sum puer parvulus, et ignorans exitum, et introitum meum. Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum pascere, et judicare possit cum omni charitate, et discernere inter bonum et malum. Deus, qui scrutator es cordium vides, quia non est exaltatum cor meum, neque elati oculi in visione magnitudinis meæ. Imo tu scis necessitatem meam, quod non desideraverim signum gloriæ meæ, quod est super caput meum, in diebus ostentationis meæ, et non portem in diebus silentii mei; et quod numquam lætatus sim, ex quo in excelsum translatus sum, nisi in te Domine Deus. Miserere nostri, Deus omnium, et respice nos, et ostende nobis lucem miserationum tuarum; miserere plebi tuæ, super quam invo-

catum est nomen tuum: miserere civitati tuæ, civitati requiei tuæ: reple eam inenarrabilibus verbis tuis, et gloria tua populum tuum a maximo ad minimum. Sed super omnia da gloriam nomini tuo Domine, et sciant omnes, quia Tu es Dominus Deus solus, et gloriosus super orbem terrarum. Pater Sancte: serva eos, quos dedisti mihi, et sanctifica in veritate, ut cognoscant quia Tu me misisti, et dilexisti eos. Utinam et ego cum opus consummavero, quod dedisti mihi, cantare valeam: Domine, quos tradidisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.

Obsecro primum, Fratres, Filiique charissimi, omnino fieri obsecrationes, orationes, gratiarum actiones omni tempore pro Summo christiani nominis Parente, GREGORIO XVI; et pro Ecclesia Sancta Sua: ut Deus, qui dedit tanto Pontifici latitudinem cordis, et implevit Illum, quasi flumen, sapientia, diu etiam sospitem servet in gaudium fidelium, ad salutem imperii; dans ei requiem per circuitum a mari usque ad mare, et non sit Satan, neque occursus malus. Orate etiam pro incolumitate Patrum, et Principum purpuratorum, quorum inenarrabilis virtus, et humanitas eminet sicut Nomen ipsorum, et dignitas; itemque orate pro omnibus, qui in conspectu Throni Sui in sublimate positi sunt, ut quietam, et tranquillam vitam agant cum omni pietate. Rogo etiam vos, ut abundantius oretis pro Eñio D. Cardinali Jacobo-Aloysio Brignole, qui sumens hodie ad instar Samuelis lenticulam olei, dilectus et ipse a Domino Deo suo, effudit super caput meum, unxit manus meas, et osculatus est me; et pro Angelo Ecclesiæ Tarsi, et pro Angelo Ecclesiæ Oropis, sustentantibus manus ejus ex utraque parte. Vos in primis levate puras manus, Pergulani Cives, quibus ineffabili privilegio datum est vocare Pontificem vere Optimum, vere Maximum Patronum vestrum, Tutorem, et Patrem. Ipse jamdiu elegit Sibi Virum illum sapientissimum, Concivem vestrum Eñum D. Marium Cardinalem Mattei, quem spiritu Dei plenum pro salute etiam vestra constituit Administrum universæ terræ suæ, ac principem in cuncta ditione sua. Ad Ejus oris imperium cunctus populus obedire tenetur, uno tantum regni Solio inferior Ei. Hoc utique honore condignus erat Excelsus Ille, quem Rex Sacratissimus honorare statuerat.

Hoc item honoris, et præmii consecuti estis pro fide vestra erga Augustissimum Pontificem, pro vestra pietate, ac religione in Deum, pro amore et justitia erga proximos, pro urbanitate cum exteris. State, state, charissimi, et videbitis magnalia. Quis enim in Eo speravit, et confusus est?

Obsecro etiam Vos, Fratres Filiique mei per Dominum Nostrum Jesum Christum, et charitatem S. Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris ad Deum Altissimum, ad Virginem Deiparam Sideribus receptam, Dominam, et Matrem utriusque Ecclesiæ Nostrae; itemque Vos Callenses Filii ad Sanctum Michaelem Archangelum cælestis militiæ principem, Joannem Baptistam Præcursorem Domini, Gerontium Episcopum, et Martyrem Patronum vestrum, Victorem M. Vos Pergulani Filii ad SS. Andream Apostolum, Secundum, Agapitum, et Justinam Martyres Tutores vestros. Etiam Vos Populi novæ acquisitionis, et jam de numero filiorum meorum preces enixas fundite ad Protomartyrem, et Levitam Laurentium Patronum terræ vestræ. Unanimes orate, ut obsequii mei oblatio, precesque meæ pro vestra utilitate acceptæ fiant in Jerusalem, ut quam cito veniam ad Vos in gaudio per voluntatem Dei, et refrigerer vobiscum. Deus autem pacis sit cum omnibus Vobis. Amen.

Dabamus prope Romam extra Portam Flaminiam septimo Idus Augusti A.D. MDCCCXLII. ipsa nostræ Consecrationis die.



[illegible]

[illegible]